



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Reverendissimo, Et Illvstrissimo S.R. Imperii Principi Ac Domino, D.
Francisco Bambergensi, Et Herbipolensi Episcopo, Franciæ Orientalis Duci
&c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873



REVERENDISSIMO,
ET ILLVSTRISSIMO
S. R. IMPERII PRINCIPI
AC DOMINO,
D. FRANCISCO
BAMBERGENSI, ET HERBIPOLENSI
EPISCOPO, FRANCIAE ORIENTALIS
Duci &c.

Domino nostro clementissimo.

Scriba doctus in regno caelorum in conspectu CELSITVDINIS VESTRAE, ILLVSTRIS-
SIME AC REVERENDIS-
SIME PRINCEPS apparere aude-
det, nec vacuus à munere; sed quæ de the-
sauro suo protulit, Augusto nomini Vestro per nos
offert, dedicat, consecratque. Sano profectò con-
silio: vt quando subire debeant iudiciorum peri-
culosam aleam, nec inuidiæ pateant, nec iniuriæ,
vbi tanti Principis fuerint insignita nomine, probata
iudicio, munita fauore. Et quidem præter nomen quod
in fronte gestant; vtrumque alterum certò sibi polli-
centur; quando ita ab indole atque institutione com-
paratus sis, vt cum optima quæque impensè diligas, ea-

† 3 dem

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica

NVI
129

EPISTOLA

dem propensè iudicio approbes, & fauore prosequaris. Porro talia esse hæc ascetica scripta, quamuis à nobis dici non debeat, ne domesticæ causæ abblandiri videamur; tamen res ipsa loquitur, atque omnium ordinum grauissimi calculi luculenter testantur.

In illis Author, cui dedit Deus scientiam Sanctorum, loquitur sapientiam Dei inter perfectos, idq; non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.

Suppetunt quidem alij plurimi, qui in artium arte *Oratione*, quâ cælestes thesauri comparantur, apprimè periti, & in cellam sponsi vinariam introducti deliciarum immortalitatis promulsæ prægustata, doceant fideles ascensiones in corde disponere in hac valle lacrymarum, quibus legislatore dante benedictionem eant de virtute in virtutem. Sed IOANNES hic noster (& hoc audemus pro veritate dicere) Aquilæ meritò comparandus, sublimi planè volatu super se leuatus in arduis contemplationis posuit nidum suum, & seposito cortice, non nisi Cedri medullâ pastus, diuinæ fontem sapientiæ in sua quodammodo scaturigine degustauit, ac in alios arcuato velut opere deriuauit.

Quamuis autem Aquila nostra pullos suos à ceruis & draconibus, ab animalibus scilicet hominibus qui non percipiunt ea quæ Dei sunt, vnguibus ac rostro defendere potuisset; satius tamen id præstabit, si illos in gremio, non louis (vt est in fabulis) sed Illustrissimæ
mane-

DEDICATORIA.

Celsitudinis Vestrae reposuerunt: Hic tamquam in petris manebunt, & in præruptis silicibus commorabuntur, atque inaccessis rupibus, id est, in tui patrocinijs asylum recepti, securi consistent.

Admitte igitur sereno ut soles vultu spiritualis huius Aquilæ mysticos foetus, qui hætenus Hispanis tamquam natiuis, deinde mutuatitijs Italis & Gallicis pennis instructi orbem peruolarunt: modo Latinis sinum Celsitudinis Vestrae inuolare gestiunt, ut inde acceptâ securitatis tesserâ, omnium oculos & manus tutò incurrât. Ita duplex præbebunt argumentum; obseruantia nostræ qua offeruntur, authoritatis Vestrae qua defendentur.

Reuerendis. & Illustris. Celsitudinis Vestrae

Humiles Clientes

FF. Carmelita Discalceati.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica

NVI

124